

successoribus videlicet suis dantibus formam, ut non minus quam a tribus Episcopis, reliquis omnibus assensum præbentibus, nullatenus Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur. Nec obstat, quod Jacobus jam esset ordinatus a Christo, & tantum fuerit ita ut dicam, inthronizatus a tribus Apostolis; saltem juxta Anacleum per hunc ritum Apostoli dederunt formam ordinandi Episcopum per tres alios Episcopos; Sine forma autem non subsisti. Ordinatio: ergo. R. omisso, quod opponi posset contra auctoritatem hujus decretalis, quæ communiter habetur apocripha, D. Maj. Apostoli in ordinatione Jacobi dederunt formam ordinandi Episcopos ceremoniam, & accidentalem, sine qua ordinatio est illicita, C. essentiali, sine qua Ordinatio est invalida, N. Veritas hujus solutionis manifesta est ex Canone præcedente ibidem, ubi ex Aniceto, Ep. ad Episcopos Gallie, dicitur: *Archiepiscopus ab omnibus sue Provincie Episcopis ordinatur... sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit ejus acta Ordinatio.* Hæc sane fortius urgent, quam quæ obijciuntur, si quidem in illis declaratur *Viribus carere & irritam esse ordinationem Archiepiscopi, non factam ab omnibus Suffraganeis, quod non habetur in Ep. Anaclei: & tamèn nemo censet, Ordinationem Archiepiscopi non factam ab omnibus suis Suffraganeis esse invalidam.* Hi ergo termini & similes, ut jam dixi, nihil aliud significant, quam quod sic ordinatus contra Canones privetur functionibus & honore sui Ordinis, habeaturque tamquam non Episcopus.

Obj. 2. Cap. *Chorepiscopi* d. 63. ex Damaso Papa dicitur de Chorepiscopis: *Quod autem Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet; quoniam, ut bene nostis, prohibitum a sanctis est Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi: si nomen non habent, qualiter officium habebunt?* idem Joannes III.: ergo. R. D. Ordinati minus quam a tribus Episcopis non sunt Episcopi quoad honorem, gradus, & officium, ut Canon ipse dicit, C. Quia sunt suspensi a suis functionibus, & quantum ad hoc habentur quasi non Episcopi. Quantum ad characterem & potestatem Episcopalem, N. Solutio patet ex præcedentibus.

Inst. Leo III. ad Episcopos Gallie tempore Caroli magni declarat, non esse Sacerdotes & Diaconos, qui erant a Chorepiscopis ordinati: ergo. R. vel Leonem loqui de Chorepiscopis, qui erant simplices Sacerdotes, vel intelligit, ordinatos illicitè ab ipsis non esse Sacerdotes & Diaconos quoad exercitium sui Ordinis, non quoad characterem, ut dictum est.

Urgens. Episcopi Gallie & Germanie, hoc responso Leonis accepto, pronuntiarunt *Irritum* quicquid a Chorepiscopis episcopaliter præsumptum est; nam *Episcopi non erant, inquit, quia nec canonicè a tribus Episcopis ordinati:* ergo. R. iterum, ut antè. Pronuntiarunt *Irritum*, id est illicitum; dixerunt, *non esse Episcopos*, quoad officium scilicet & usum suarum functionum. Vel dicendum, quod, cum essent Chorepiscopi duplicis generis, ut alibi diximus, alii simplices Presbyteri, alii Episcopi, & ubique lex de adhibendis tribus Episcopis in Ordinatione Episcopi servaretur, bene inferebant Præsules Gal-

lie & Germanie, eos, qui ab uno tantum ordinati fuerant, non fuisse ordinatos in Episcopos, sed in simplices Presbyteros.

Repones. S. Cyprianus Ep. 68. scribit, custodiendum & tenendum esse de traditione divina & Apostolica ordinatione, ut, ad ordinationes ritè celebrandas, cum plebe, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provincie proximi quique conveniant. R. 1. Hanc instantiam de necessitate Sacramenti requirunt, qui tres tantum Episcopos de necessitate Sacramenti requirunt, non plebem, nec omnes Episcopos proximos Provincie 2. Neg. Conseq. non enim solum, quæ sunt essentialia Sacramenti, sed etiam quæ sunt tantum ipsis extrinsecalia quandoque habemus ex Apostolica Traditione, ut patet in mixtione aquæ cum vino ad consecrationem. Undè in hac materia sicut in aliis pluribus, distinguendæ sunt Traditiones, quæ pertinent ad disciplinam, & quæ statuunt dogmata inviolabilia.

Cæterum his omnibus testimoniis Anaclei, Damasi, Leonis, Joannis, & Præsolium Gallie & Germanie oppono can. 1. Apost. in quo dicitur: *Episcopus a duobus, vel tribus ordinatur.* Cap. 2. l. 3. Constituit. Apost. ubi legitur: *Subemus, ut a tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimum a duobus, ita ut ab uno constitui non possit; testimonium enim duorum & trium firmius est & certum.* Neque dicas, intelligi duos præter Metropolitanum. Id enim aperte falsum evincit secundum testimonium, sic enim dicti posse a duobus, ut non possit ab uno ergo duos sic intelligit, ut, altero detracto, remaneat unus. Item dicit: *quia testimonium duorum & trium est firmius & certum;* si autem intellexisset Metropolitanum cum duobus, aut tribus, debuisset dicere testimonium trium & quatuor. Aliundè probandum foret, nunc fuisse Metropolitanos in omnibus Provinciis, in quibus ordinabantur Episcopi, quod difficile probaretur. Item oppono c. 17. Constituit. Apost. l. 8. cit. ubi dicitur, quod, *si necessitas urgeat, Episcopus ab uno ordinari possit.*

Obj. 3. Novatianus cum non inveniret Romæ, a quo Episcopus ordinaretur, accessit ex aliqua Italie Provincia tres viles Episcopos, a quibus temulentis & crapula oppressis fuit consecratus: ergo tunc ea erat opinio fidelium, invalidam fore ordinationem Episcopalem, quæ non fieret a tribus Episcopis. R. N. Cons. Idem enim voluit Novatianus ordinari a tribus Episcopis, ut se confirmaret discipline communiter receptæ, ne si eam aperte transgredere, majorem in se concitaret indignam, & difficilius Pontificatum obtineret.

Obj. 4. Juxta Apost. Hebr. 7. *Quod minus est, a meliore benedicitur;* atqui unus Episcopus non est melior, aut dignior alio: ergo ad benedicendum Episcopo plures requiruntur, qui similes sint meliores & digniores uno. R. 1. Benedicentem propria auctoritate debere esse meliorem & digniorem; secus, si benedicat auctoritate Dei & ut ejus minister. 2. Episcopus, nondum benedicens, sed benedicendus, est minor Episcopo benedicente. nec tres sunt majores & meliores uno intensivè.

Verum observandum est, quod, quamvis hæc sententia nobis sit speculativè probabilior; quia tamèn opposita est etiam verè probabilis, & hic agit de valore Sacramenti, quod est maximi momenti, in praxi standum est contrariæ sententiæ,

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

D. Thom. Suppl. a Q. 41. ad 67.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE MATRIMONIO EX CONCILIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Instructione Armenorum (Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Thom. opusc. 5.)

Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjugationis Christi, & Ecclesie, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjugationem Christi, & Ecclesie. Quævis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere sit est, cum matrimonio vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Canones Concilii Tridentini de Matrimonio (Sess. 24. 11. Novemb. 1563. sub Pio IV.)

SI quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

II. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediatur, & dirimatur; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

V. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestiam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjugè, dissolvi

posse Matrimonii vinculum; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non contummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjugè vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœchiarique eum, qui dimissa adultera, aliam dixerit; & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupsit; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse; decernit; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemnitè professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiant se castitatis, etiam si eam toverint, habere donum; anathema sit. Cum Deus id rectè petentibus non denegat, nec patitur nos supra id quod possumus tentari.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem antependendum esse statui virginitatis, vel coelibatus; & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut coelibatu, quam jungi Matrimonio; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos; anathema sit.

DISSERTATIO I.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

D. Thom. Quest. 41. & 42.

ARTICULUS I.

De Nominibus, Definitionibus, Essentia Matrimonii.

NOMINA.

Matrimonium secundum varias considerationes varias sortitur nomina (Suppl. q. 44. art. 2.) Consideratum secundum essentialia, quæ est, ut dicimus, nexus, seu conjunctio maris, & femine, dicitur *Conjugium*, quasi junctio duorum sub uno jugo, undè & *Conjuges*. Spectatum secundum causam, quæ est desponsatio, seu contractus solemnitas, vocatur *Connubium*, & *Nuptia*: a verbo *nubo* seu *velo*, quia in ipsa solemnitate desponsationis capita nubentium velantur, seu velamine obnubuntur in signum pudoris, & modestiæ, quam inter se servare de-

berit. Consideratum secundum effectum, nempe prolem, vocatur *Matrimonium*; quia ut ait Aug. libr. 9. contra Faustum c. 26. *Non ob aliud debet summa nubere, quam ut Mater fiat.* Potius autem dicitur Matrimonium a Matre, quam Patrimonium a Patre; tum quia, ut ait Gregorius IX. cap. *Ex litteris* de conversione fidel. licet Pater sit sexu dignior, Matri tamen foetus est ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus; maxime enim illi cura proliis incumbit: tum quia proliis certa Mater est, non semper certus Pater.

Definitiones.

Matrimonium est, & contractus civilis in officium naturæ, quam propagat, & conservat; & Sacramentum novæ Legis, gratiam conjugibus conferens ad proles christianæ educationis.

Bbbb a

das, & ad sustinenda Matrimonii onera. Ut est officium natura...

Explicatur Definitio. Dicitur Coniunctio, & haec particula tenet locum generis...

Essentia.

IN Matrimonio plura concurrunt. 1. Mutuus consensus exterioris expressus...

Dico (Ib. art. 1. o.) Matrimonium in facto esse consistit essentialiter in vinculo formali...

Dices 1. Matrimonium est Sacramentum; atqui vinculum istud non est Sacramentum...

Dices 2. Matrimonium est in officium generationis, & in remedium concupiscentiae...

Dices 3. Quod pertinet ad significationem Sacramenti, est de illius essentia...

nificatur per commixtionem carnalem. R. D. M. (Ib. ad 2.) Quod pertinet ad significationem Sacramenti...

Possent obijci quaedam auctoritates Patrum ex Gratiano c. Institutum, cap. Si quippe...

ARTICULUS II.

De Matrimonio, ut est in officium natura.

TRia in praesenti articulo ponuntur in quaestione: 1. utrum Matrimonium sit hominibus naturale?

§. I. Utrum Matrimonium sit hominibus naturale?

SENSUS quaestionis non est, utrum coitus maris enim foemina causa generationis sit naturalis?

Naturale dupliciter dicitur. (Suppl. q. 41. art. 1. o.) Uno modo, prout distinguitur contra liberum...

Dico (Ib.) Matrimonium est hominibus naturale. Prob. (Ib.) Illud est homini naturale, ad quod ejus ratio naturalis inclinatur...

Inferes: ergo Virginitas, & Calibatus sunt contra inclinationem, consequenter sunt peccata. R. Data prima illatione...

Dices. Inclinatio naturalis est communis omnibus; atqui non apparet in omnibus inclinatio naturalis ad Matrimonium...

§. II. Utrum Matrimonium cadat sub praecipio?

Dico 1. Matrimonium cadit aliquo sensu sub praecipio naturali. Prob. Medium maxime necessarium ad finem a natura intentum...

trem, & adherbit uxori suae. Neque simile est de aliis animalibus, quibus non datur praecipuum...

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Praecipuum de Matrimonio obligat per se directe & primario communitatem, ut curet aliquos nobere...

Prob. 2. pars. (Ib. in arg. s. c. & o.) 1. Apost. 1. Cor. 7. dicit: Qui non jungit matrimonio virginem suam, melius facit...

Dices 1. Apost. 1. ad Cor. 7. dicit: Unusquisque uxorem suam habeat: Et Exod. 25. praecipitur, ut non sit infecunda & sterilis in terra Israel...

Dices 2. Quilibet teneat ad cibum: ergo & ad conjugium. R. N. Conseq. Quia individuum servari non potest absque eo...

Cetera argumenta require in Tract. de Temperantia Dissert. 4. art. 2. ubi probavimus contra Lutheranos, Virginitatem esse licitam.

§. III. Utrum actus Matrimonii sit licitus, possitque esse meritorius?

Dico. Actus Matrimonii est licitus, potestque esse meritorius. Est (Ibid. art. 3. & 4. o.) contra antiquos Haereticos, Saturninum, Martionem, Manichaeos, Enechitas, & alios...

Accedit (Ibid. o.) ratio. Ea, quae pertinent ad conservationem naturae corporalis, & ad quae inclinatur natura, non possunt dici universaliter mala & illicita...

Prob. (Ibid. art. 4. in a. s. c. & o.) 2. pars 1. Omnis actus, qui impletur praecipuum, est meritorius, si ex charitate fiat; atqui est hujusmodi actus Matrimonii...

lendum esse conjugibus frequentare actus Matrimonii, quomvis enim sint boni, non tamen sunt optimi...

Obj. 1. Ab auctoritate. 1. Luc. 14. Matrimonium impedit hominem a Coena Patrifamilias. 2. Rem. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt...

Obj. 2. a Ratione. 1. Actus Matrimonialis habet tempus annexum concupiscentiam; concupiscentia autem est turpis. 2. Superfluitas passionis corrumpit virtutem...

R. (Ib. ad 3.) ad 1. ut ante. Concupiscentia, quae reperitur in actu conjugali, est turpis torpore peccatae, provenientis ex peccato primi Parentis...

Utrum sit Sacramentum nove legis, proprie dictum?

Sacramentum, generaliter & late sumptum, ut alibi scripsi, est quodcumque signum rei sacre. Sacramentum stricte & proprie dictum, prout sumitur in nova lege, est signum practicum & effectivum rei sacre, gratie scilicet nos sanctificantis. Suppono, Matrimonium ex institutione divina esse Sacramentum late sumptum; fuit enim institutum a Deo, ut significaret conjunctionem Christi cum natura humana, & Ecclesia, tam naturalem per Incarnationem, quam moralem & spirituales per charitatem. Patet ex his, quae Gen. 2. Adam afflatus divino Spiritu prophetice dixit: Hoc nunc os ossibus meis & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxori suae. Juxta enim SS. Patres his verbis Adam praedixit conjunctionem Christi cum Ecclesia in sua Incarnatione, figuratam per sumum Matrimonium cum Eva. Ecclesia enim est ex ossibus Christi in cruce pendens formata: Christus dereliquit Patrem suum in Coelis, non derelictione divinitatis, sed assumptione humanitatis, & Matrem suam Synagogam, erat enim datus Judaeis, atque adhuc indissolubiliter Ecclesiae sponsae suae. Ita interpretatur Tertull. l. de anima c. 11. Hieron. in c. 5. Ephes. Aug. l. 9. de Genes. ad litt. c. 19. & ipsam Trid. Sess. 24. cap. unico de Matrim. atque aperit exprimit Apost. ad Ephes. 5. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret uxori suae & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Neque dicas cum Haereticis, To Sacramentum in textu Apostoli non referri ad Matrimonium, sed ad unionem Christi cum Ecclesia; ita ut sensus sit, conjunctionem Christi cum Ecclesia esse magnum Sacramentum, graece, *Mysterium*. Enimvero To hoc refertur ad id, quod praecedit: Propter hoc relinquet, &c. id est, ad Matrimonium. Quando ergo Apostolus dicit Sacramentum hoc, intelligit Matrimonium; faveat etiam textus Graecus, qui habet in *Christo & Ecclesia*, significans unionem Christi cum Ecclesia esse terminum seu objectum significativum per unionem conjugalem Adae & Evae. Negant a fortiori Lutherani & Calvinistae, Matrimonium esse Sacramentum nove legis, proprie dictum, Magister sententiarum, quamvis annumeret Matrimonium Sacramentum nove legis, ipsi tamen denegat vim causandi gratiam. Durandus non agnoscit ipsum, nisi, ut Sacramentum, late sumptum pro signo rei sacre. Hi duo autem definitiones solennes Ecclesiae in Concilio Constantiensi, Florentino, & Trid. quorum idem opinionem Doctor Angelicus non impugnat ut haereticam, sed tantum ut minus probabilem.

Dico. (Suppl. q. 42. art. 1. & 3. o.) Matrimonium in nova lege est verè & proprie dictum Sacramentum.

Quamvis quidam arbitrentur, conclusionem probari posse tantum ex Traditione, Conciliorum definitionibus firmata, non ex Scriptura sacra; duo tamen loca proferimus, ex quibus non obscure eruitur veritas Catholica. 1. Apost. Ephes. 5. ut jam observavimus, dicit Matrimonium esse Sacramentum, seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: & ibi loquitur de conjunctione non solum naturali per Incarnationem, quae est communis toti generi humano, sed etiam de conjunctione morali per gratiam & charitatem, quae est propria Ecclesiae; dixerat enim prius: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*; atqui Matrimonium non posset esse signum hujus unionis morales, nisi conjugum uniat non solum carnali vinculo, sed etiam gratia & charitate, consequenter nisi sit signum practicum & efficax gratiae, quod est Sacramentum stricte dictum. Atque ita ratiocinatur Trid. Sess. 24. cap. unico de Matrimonio.

2. Christus Joann. 2. invitatus ad nuptias, illas insigni miraculo approbavit, atque illis benedixit, eis conferendo vim causandi gratiam. Ita tradunt SS. Patres. Cyrillus Ep. ad Nestor. a Patribus Ephesinis confirmata p. 1. Act. cap. 26. dicit, *Christum dispensatoris tunc benedixisse nuptiis, cum in Cana Galilaeae cum sanctis vocatus est*. Idem l. 2. in Joann. scribit Christum ad nuptias venisse, ut illas sua praesentia honestaret, & veterem partem tristitiam depelleret, usque quoque, qui postea nascituri erant, gratiam praestitueret. Epiph. haeresi 67. Nam, inquit, venerabile esse nuptias, & Dei aspirante gratia regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Saluator ipse fuerit, ut his benediceret. Aug. Tract. 9. in Joann. c. 2. Per hoc ergo, inquit, Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur Sacramentum nuptiarum.

Prob. Traditione. Tertullianus de praescript. c. 4. dicit, diabolum zemulari Res divinarum Sacramentorum in idolorum mysteriis, tingere suos, fontibus obsignate, mitra condecorate, panem offerre; id est, imitari Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & Eucharistiae: tum addit: *Quid? Quod & Summum Pontificem in unis nuptiis statuit: ubi Tertullianus. Sacramentis proprie dicitis Matrimonium annumerat*. Ambrosius l. 1. de Abraham c. 7. Cognoscimus, inquit, praesulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patitur alienum torum pollui; & si qui fecerit peccare in Deum, cujus legem violat, gratiam solvat: & idem, quia in Deum peccat, Sacramenti castitatis amittit consortium: Siricius Papa Ep. 1. c. 4. vocat violationem Matrimonii a Sacerdote benedicti Sacriliegium. Aug. l. 1. de nuptiis & concup. c. 10. l. 5. contra Julianum c. 12. l. de bono conjugali c. 24. duo distinguit in Matrimonio infidelium, nempe finem, qui est generatio prolis, & fidem: tertium autem addit in Matrimonio fidelium, scilicet Sacramentum. Bonum igitur nuptiarum, inquit ultimo loco citato, per omnes gentes atque homines in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti. Evidens est, quod sumat strictè Sacramentum, cum illud denegat Matrimonii infidelium, quae tamen habent rationem Sacramenti, late sumpti pro signo unionis Christi cum natura humana per Incarnationem. Et eodem libr. de bono conjugali c. 18. vocat Matrimonium Signaculum & Sacramentum, & caput sit concludit: *In nostrarum quippe (mulierum) nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri: & l. de fide & operibus c. 7. In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur*. Plura alia tum Augustini ceterorum Patrum testimonia, brevitate causa, omitto. Legi possunt apud Bellarminum, & alios.

Hanc traditionem firmant varia Concilia. Lucius III. qui florebat saeculo 3. in Concilio Verone habito anathema dicit omnibus, qui de Baptismo, Eucharistia, Confessione, Matrimonio, vel reliquis Sacramentis aliter sentierint quam sacrosancta Romana Ecclesia. Refertur cap. Ad abolendam extra. de haereticis. Concil. Constantiense sess. 15. & in Bulla Martini V. Inter cunctas, Florentinum in Decreto unionis agnoscunt Matrimonium ut Sacramentum nove Legis, ac denique Concil. Trid. sess. 7. Can. 1. annumerat Matrimonium 7. Sacramentis: & sess. 24. Can. 1. sic definit: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; anathema sit*.

Confirm. ex hoc, quod ab Ecclesia incunabulis Matrimonium semper celebratum fuerit, ut res sacra, in loco sacro, ritibus seriis, coram Ministro sacro; quod sane non ita semper observatum fuisset, si esset contractus mere civilis. Confer insuper Dissert. 7. de Sacramentis in genere art. 1. ubi probavimus ex Scriptura, Patribus, Conciliis, ac consensu utriusque Ecclesiae Graecae, & Latinae, esse septem Sacramenta.

Vix aliquid momenti objicit Haereticis, unde eorum argumenta leviter perstringam. Dicunt itaque 1. Unum Sacramentum non opponitur alteri; sed Ordo opponitur Matrimonio: ergo. 2. In unoquoque Sacramento assignari debet Sacramentum tantum, res & Sacramentum, & res tantum; quae assignari non possunt in Matrimonio. 3. Sacramentum efficit, quod significat. Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, & charitatem; & tamen eam non efficit. 4. Non datur pecunia pro Sacramentis, datur autem pro Matrimonio. 5. Inter primos parentes, deinde in Lege naturae, & scripta, ac tum inter Infideles est & fuit verum Matrimonium; & tamen nec est, aut fuit Sacramentum proprie dictum. 7. Matrimonium non causat gratiam: alioquin sequitur, quod deserens statum Virginitatis, quem sanctè celebrat, adipisceretur augmentum gratiae; quod videtur absurdum, cum a perfectiori statu ad imperfectiorem deficiat, & est contra Apost. 1. Cor. 7. dicentem: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit*. 7. Actus conjugalis est pars Matrimonii, & tamen non causat gratiam. 8. Magister & Durandus tenent, Matrimonium non esse proprie Sacramentum, nec causare gratiam, & tamen neque S. Th. neque S. Bonav. illos damnant ut haereticos. 9. Eto Matrimonium causet gratiam, non sequitur inde, quod sit proprie Sacramentum; Martyrium enim causat gratiam, neque tamen est Sacramentum. 10. Ecclesia in Conc. Trid. mutavit materiam Matrimonii irritando consensum clandestinum; quod facere nos potuisset, si Matrimonium esset Sacramentum.

R. Ad 1. Sacramentum Ordinis non opponi Matrimonio, si quidem Sacerdotes Graeci, utantur Matrimonio; sed in Ecclesia Latina conjugati accentur ab Ordinibus, non ratione Sacramenti, sed ratione status conjugalis, qui adfert varia impedimenta functionibus Sacerdotii. Ad 2. N. Min. (Ibid art. 1. ad 5.) In Matrimonio enim Sacramentum tantum est consen-

sus matius contrahentium exterius, expressus, res, & Sacramentum est vinculum, res tantum est gratia. 3. Matrimonium ut Sacramentum late sumptum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quam non efficit; ut Sacramentum strictè sumptum significat gratiam, quam efficit. Ad 4. Matrimonium est simul contractus civilis, & Sacramentum. Datur pecunia pro illo, non prout est Sacramentum, sed prout est contractus civilis gravis inferens onera, quibus sublevandis necessaria est pecunia. Ad 5. D. Inter primos parentes, in lege naturae, & scripta, & inter Infideles est, & fuit verum Matrimonium in ratione contractus civilis in officium naturae, C. in ratione Sacramenti, Subdistinguo: In ratione Sacramenti, late sumpti pro signo conjunctionis Christi cum Ecclesia, C. in ratione Sacramenti, proprie sumpti pro signo efficaciae gratiae, N. ad 6. Comparando statum cum statu, status continentiae est excellentior statu Matrimonii; & melius facit, qui non jungit virginem suam, quam qui jungit; sed hoc non impedit, quin continens, contrahendo Matrimonium, crescat in gratia, qui Sacramentum, in quocumque statu suscipiatur, confert gratiam. Verum, si continens in suo statu mansisset, plus gratiae invenisset apud Deum, quam sit id, quod habet per Sacramentum. Ad 7. Usus Matrimonii non est pars Matrimonii, sed ejus actus, & officium: gratia autem datur, dum perficitur Matrimonium. Si dicas, copulam posse esse partem Matrimonii, casu nempe, quo sponsalibus superveniret affectus maritalis in locis, in quibus Trid. non est receptum. R. 1. nihil absurdi esse, quod in hoc casu copula secundum se possit causare gratiam, sicut non est absurdum, quod sit meritoria: de facto tamen non causaret; quia Ecclesia semper prohibuit Matrimonia clandestina, & idem peccaret, qui sic contraheret, atque gratia deneret obicem. R. 2. non copulam, sed consensum de praesenti comitentem copulam, efficere Sacramentum. Ad 8. Magister, & Durandus non satis attendentes ad Traditionem erraverunt, & in hoc sunt deterrandi. Excusantur tamen ab haeresi, eo quod nondum esset tunc sollemnis Ecclesiae definitio. Ad 9. Disparitas est, quod Martyrium non sit a Deo institutum tamquam instrumentum ordinarium, & permanens in Ecclesia ad causandam gratiam, quod requiritur ad rationem Sacramenti; secus Matrimonium; ut jam dicam. Ad 10. Ecclesia non mutavit materiam matrimonii formaliter; est enim semper consensus legitimus, ut erat antea; sed mutavit materialiter tantum, efficiendo quod contractus, qui erat legitimus, non sit amplius legitimus, sicut, qui converteret vinum in acetum, mutaret materiam Eucharistiae materialiter tantum, non formaliter. De hac distinctione jam dixi Dissert. 1. de Sacram. in genere art. 5. Object. 3. & amplius dicam infra, dum de clandestinitate.

Petes 1. Quomodo Christus instituit hoc Sacramentum? R. Id non constare inter Auctores. Quidam assignant nuptias in Cana Galilaeae, quando eis Christus benedixit, & eas sua praesentia, ac insigni miraculo honestavit: idque innuunt Patres, superiores Laudati, Cyril. Epiphanius, & Aug. Alii dicunt, institutum fuisse, quando Christus Matth. 19. abrogata lege repudii, Matrimonium ad suam primam indissolubilitatem revocavit, dicendo: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Alii tandem institutum existimant post resurrectionem intra illos quadraginta dies, quibus Christus frequenter de Regno Dei cum Apostolis loquebatur.

Petes 2. Ad quid valeat gratia sacramentalis Matrimonii? R. valere ad sanctificationem conjugum, ad fovendum, & perficiendum inter eos amorem mutuum, ut se castè diligant, se intra limites Matrimonii continent, & infirmitates invicem supportent, atque ad educationem christianam promul.

ARTICULUS IV.

Utrum Matrimonium, inter absentes contractum, sit proprie dictum Sacramentum?

Suppono, Matrimonium inter absentes initum esse validum in ratione contractus civilis, modo serventur conditiones requisitae a Jure, de quibus infra: quia alii contractus inter absentes sunt validi, quidni matrimonialis? Aliunde Jus Canonicum cap. finali de Procuratoribus in 6. l. 1. tit. 19. statuit certas conditiones, ut Matrimonium inter absentes contrahatur: ergo supponit, validè contrahi. Item l. Sufficit l. finali ff. de Sponsalibus habetur validus contractus Matrimonii inter absentes. Et l. Mulieres de ritu nuptiarum dicitur *Muliere absentem per litteras ejus, vel nuntium, posse nubere, placet*. Neque Trid. huc Jura revocavit, aut mutavit illatenus; sed tantum requisivit praesentiam Parochi, & duorum testium, quae conditio servari potest inter absentes.

Difficultas est igitur, utrum valeat in ratione Sacramenti. Dupliciter autem, vel tripliciter Matrimonium potest contrahi inter absentes. 1. Per Procuratores, qui gerant vices contrahen-

tium, dicendo v. gr. *Accipio te in uxorem nomine Petri: & mulier respondeat: Et ego, te mediante, accipio Petrum in meum*, idque fiat coram Parocho, & duobus testibus. 2. Per litteras, ut si vir scribat mulieri: *Me tibi trado in maritum, & accipio tui traditionem*, ubi facta fuerit coram Parocho, & testibus. Et mulier vicissim scribat viro: *Me tibi trado in uxorem, & accipio tui traditionem*, ubi facta fuerit coram Parocho, & testibus. Tunc lectis utriusque litteris coram Parocho, & testibus perficitur Sacramentum; quia litterae succedunt loco contrahentium, non secus ac Procuratores. Similiter, si loco litterarum contrahant per nuntios, qui coram Parocho, & testibus expriment mutuum traditionem, & acceptationem contrahentium.

Dico, Matrimonium, inter absentes contractum, sive per Procuratores, sive per litteras, sive per nuntios, est proprie dictum Sacramentum. Est communior contra Cajet. Cano. Sylvium, & quosdam alios. Prob. 1. Ecclesia permittit haec Matrimonia, ut patet ex Jure cit. & usu, praesertim inter Magnates; atqui Ecclesia non permetteret, nec permittere posset, si non essent vera Sacramenta: tum quia est contra institutionem Christi, qui rationem Sacramenti annexit omni valido contractui Matrimoniali: tum quia esset private perpetuo sic contrahentes gratia sacramentali; eo quod traditio, & acceptatio corporum semel valide facta iterari non potest, cum res donata non sit amplius sub dominio donatoris; proindeque, si non fuit ab initio Sacramentum, nunquam fiet Sacramentum, nec consequenter gratiam unquam conferret. Confer infra Petitionem 6. art. seq.

2. Christus instituendo Sacramentum Matrimonii nihil immutavit in contractu matrimoniali; sed eum validum elevavit ad esse Sacramenti; atque ex suppositis est contractus validus inter absentes: ergo. Constat. In hoc contractu reperitur omnia necessaria ad esse Sacramenti, materia, forma; Minister, sive sit Sacerdos, sive sint contrahentes, & intentio; contrahentes enim sunt moraliter praesentes per Procuratores, qui sunt eorum instrumenta: ergo.

3. Ecclesia judicat de istis Matrimoniis: ergo non sunt contractus mere civiles, sed sacri.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Alia Sacramenta non recipiuntur per Procuratores: ergo nec Matrimonium. R. N. Conseq. Disparitas est, quod alia Sacramenta non fundentur in contractu, sicut Matrimonium, cujus idem naturam sequitur; contractus autem fieri potest inter absentes per Procuratorem.

Inst. 1. Quamvis Sacramentum Matrimonii fundetur in contractu, ipsa tamen ratio Sacramenti superaddita impedit, quominus possit conferri absentem: ergo. Prob. Min. Sic, quamvis aliquis absens possit judicialiter absolvi in foro externo, attamen absolutio poenitentialis in foro interno, eo quod sit Sacramentalis, non potest conferri absentem: ergo similiter, quamvis, &c. R. N. Ant. Ad Probat. Dato Ant. N. Conseq. Disparitas est, quod in judicio externo alius sit reus, alius accusator, alius testis, nec in reo requiritur dispositio, & idem potest exerceri in absentes. At in foro interno poenitentiae idem reus, accusator, & testis, in quo requiritur dispositio, & quae debet immoescere judici. Quapropter absolutio poenitentialis, non solum quia est sacramentalis, sed etiam quia est judicialis, non potest exerceri in absentes, & idem omisi Ant. Verum nihil obstat, quominus Matrimonium, cum sit contractus humanus, perficiatur inter absentes, non solum in ratione contractus, sed etiam in ratione Sacramenti, quippe quae fundata est in ipso contractu, & ipsi accommodata.

Inst. 2. Sicut collatio Sacramenti est personalis, ita & ejus receptio: ergo Sacramentum Matrimonii recipi non potest per procuratorem. R. D. Conseq. ergo Sacramentum Matrimonii non potest recipi per procuratorem, sic ut procurator recipiat Sacramentum, C. sic ut procurator sit instrumentum, mediante quo mandans, seu contrahens recipiat Sacramentum, N. Non ergo procurator, sed contrahens recipiat Sacramentum recipiendo gratiam, sicut receptio est personalis.

Inst. 3. Hujusmodi Matrimonium non potest causare gratiam: ergo. Prob. Ant. Cum Sacramenta nove Legis secundum nos causent physicè gratiam, debent existere physicè; atqui consensus contrahentis, quo efficitur Matrimonium, dum procurator ejus nomine contrahit, non existit physicè, sed moraliter tantum in consensu procuratoris: ergo. R. N. Ant. Ad Probat. Dixi in Tract. de Sacramentis in genere, Sacramenta nove Legis causare gratiam physicè, quando adsunt conditiones requisitae ad causalitatem physicam, quarum praecipua est existentia, qua deficiente causant tantum moraliter.

Inferes: ergo, si dum procurator contrahit, mandans dormiat, recipiet gratiam dormiendo; atqui id videtur absurdum: ergo. R. N. Min. Sicut enim non est absurdum, quod qui an-

te somnum habuit intentionem suscipiendi Baptismum, aut patiens martirium, si dormiens baptizetur, aut occidatur, recipiat gratiam in somno; ita similiter in nostro casu.

Obj. 2. Hæc verba, *Baptizo te, absolvo te, &c.* requirunt præsentiam physicam baptizandi, aut absolvendi: ergo & ista *Accipio te in meam, &c.* requirunt præsentiam physicam contrahentium. R. N. Conseq. Disparitas est, quod hæc verba, *Baptizo te, absolvo te, &c.* directa ad personam præsentem sint essentialia Sacramenti Baptismi, & Penitentiae, quia sunt eorum forma. At hæc verba, *Accipio in meam, &c.* non sunt essentialia Sacramento Matrimonii, sed possunt adhiberi quæcumque alia, vel etiã signa, aut nutus, quibus exprimat consensus contrahentium, quod proinde potest fieri per procuratores, vel per literas, aut nuntium.

Iust. Concilium Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. exigit ut Parochus, *Viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat:* Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c. *vel aliis utatur verbis, juxta receptum ususque Provinciae ritum;* atque hæc supponunt præsentem contrahentes: ergo. R. D. Min. Hæc supponunt præsentem physicam, N. præsentem moraliter per procuratores, C. Dum enim interrogat procuratores, interrogat contrahentes, quorum voces gerunt: dum dicit *conjungo vos,* conjungit contrahentes, non procuratores, qui se habent tantum tamquam instrumenta; sicut, dum Sacerdos in nomine Christi dicit, *Hoc est corpus meum,* non sum, sed corpus Christi consecrat. Adde, Trid. ibi prescribere modum ordinarium celebrandi Matrimonium in facie Ecclesie; non quæ sunt necessaria ad ejus validitatem.

Obj. 3. Qui contrahunt per procuratores, iterum contrahunt personaliter coram Parocho: ergo Matrimonium contractum per procuratores non erat Sacramentum, alioquin iterari non posset. R. quodam sentire, quod renovet consensus, ut, si forte prior fuerit invalidus ad rationem Sacramenti, jam nunc valeat. At immerito; contractus enim donationis tam validus iterari non potest, ut jam dixi, cum res semel validè donata non sit amplius sub dominio donatoris; & ideo nec fieri Sacramentum, si antè non erat; quia ratio Sacramenti sequitur ad contractum in fieri, non in facto esse. Vide Petit. 6. Art. sequentis. Negandum est itaque Ant. & dicendum, quod suppleantur tantum solemnitates omisæ; & quod contrahentes ratihabendo Matrimonium per procuratores contractum declarent se perseverantes fuisse in consensu, dum contrahebant tuo nomine.

ARTICULUS V.

Varie Quæstionibus circa præsentem materiam breviter resolvuntur.

Petes 1. Quæ sint conditiones a Jure requisitæ, ut Matrimonium inter absentes sit validum? R. Sex requiri. Prima est, ut procurator ad habere speciale mandat, nec sufficit generalis commissio ad omnia, quæ mandatum spectant. Secunda, quod non possit alium deputare, nisi hoc eidem sit specialiter concessum. Tertia, quod mandat non sit revocatum etiã mentaliter, antequam procurator contraxerit. Si enim revocatum fuerit, licet revocatio neque mandatario, neque mulieri cum qua contrahit, innoverit, nullum est Matrimonium, quia deest consensus, quem Jus supplere non potest, sicut potest in alii contractibus, qui ideo in præsentem casu sunt validi; ut habetur in Jure l. *Si mandat* 15. ff. *Mandati* Clementina unica de renuntiatione; & c. *In parte* 33. Extra. de rescriptis. Has tres conditiones expressè requirit Bonifacius VIII. cap. finali de Procuratoribus in 6. l. 1. tit. 19. Quarta, ut mandat sit speciale, non solum de Matrimonio contrahendo, sed etiã cum determinata persona: L. *Generali* 34. ff. de Rito n. p. r. Quinta, quod mandatarius non excedat fines mandati. L. *Diligenter* ff. mandati. Undè, si illi fuit mandat, ut sub tali re, sub his, vel illis conditionibus contrahat, aliè contrahens nihil efficit; scilicet tamèn, si formam mandati excedat, ut si mandat ipsi fuit contrahere secundum formam Trid. præmissis bannis, omittat sive ex licentia, sive sine licentia, valet Matrimonium; quia mandans non censetur præscripsisse formam aliè, quàm sit ab Ecclesia præscripta, nec voluisse apponere conditionem, sine qua non valeat Matrimonium; sed tantum indicare, & certiore reddere mandatarius, ut hoc modo mandat exequatur. Sexta, ut contrahat coràm Parocho, & testibus secundum formam a Trid. præscriptam.

Petes 2. An mandat debet dari coràm Parocho, & testibus? R. negativè; quia id tantum requirit Tridentinum, quando Matrimonium de facto contrahitur.

Petes 3. Utrum, si mandans dederit mandat, fidei, valeat Matrimonium, si, antequam celebraretur, mutaverit animum, & ratum habuerit mandat? R. probabiliter affirmativè; quia ver-

ba procuratoris sunt tantum signa consensus pro tunc in mandante existentis; & si consensus præteritum significant, est quatenus censetur moraliter præsentem.

Petes 4. An, si mandans incidat in amentiam, antequam mandatarius contrahat, validum sit Matrimonium? R. probabiliter affirmativè, quia quandò consensus non revocatur, semper remanet virtualiter. Vide de Sacram. in genere Dissert. 5. art. 7. §. 3. Conclus. 1. in Object.

Petes 5. Utrum inter fideles baptizatos possit dari Matrimonium validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti? Suppono, posse dari inter infideles, & etiã fideles non baptizatos, scilicet catechumenos, quippe qui defectu Baptismi sunt aliorum Sacramentorum incapaces. R. ad quæstionem affirmativè; quia Christus, elevando contractum matrimoniale ad esse sacramentale, non minuit vim contractus, sed virtutem tantum supernaturalalem superaddidit; sicut elevando ablu-tionem in Baptismo ad rationem Sacramenti, non abstulit illi vim abluendi, sed virtutem tantum supernaturalalem abluendi spiritualiter, seu sanctificandi contulit; & sic de aliis Sacramentis. Sicut ergo, qui abluerit sine intentione conferendi Sacramentum, verè & efficaciter abluerit corpus, & non conficeret Sacramentum; ita qui contractum Matrimonii in-ter sine intentione Sacramenti, verè & validè contraheret, & non faceret Sacramentum; quia ad validitatem Sacramenti requiritur intentio.

Quamvis ergo Deus instituerit Sacramenta independentè a voluntate hominum, noluit tamèn hæc in actu poni absque eorum voluntate, & intentione, ut alibi probavimus. Neque obstat, quod dixerit: *Quod Deus conjunxit, homo non separat.* Hoc enim dixit de indissolubilitate Matrimonii, non de conjunctione contractus cum Sacramentum. Aliud non omnia, quæ Deus conjunxit, talia sunt, quæ separari non possint, aut debeant; conjunxit animam corpori, quam tamèn justus Judex occidendo furem, separat.

Petes 6. Utrum Matrimonium inter infideles contractum fiat Sacramentum, dum postea baptizantur, præsentem si renovet consensus? R. negativè; quia Sacramentum Matrimonii consistit in fieri contractus, sicut omnia alia Sacramenta, excepta Eucharistia, consistunt in fieri, & in actione transeunte: sic Baptismus consistit in actuali applicatione aque ad corpus; & sic de cæteris; atque in casu non potest fieri novus contractus Matrimonii, quia res semel donata & tradita, cum non fit amplius sub dominio donatoris, non potest amplius validè donari: sicut, qui vendidit & tradidit equum, nihil efficeret, si vellet iterum illum vendere. Undè, quando S. Th. dixit in 4. D. 39. Q. unica art. 2. ad 1. Matrimonium infidelium esse *Aliquomodo Sacramentum habitualiter, non actualiter*, sic intelligi debet, quod hujusmodi Matrimonium quantum est ex se, & ratione contractus, sit aptum, ut fiat Sacramentum, si contraheretur in fide Ecclesie suscepta per Baptismum.

Petes 7. Utrum Sacramentum Matrimonii possit claudicare, ita quod sit in uno contrahentium, & non in alio; ut si fidelis ex dispensatione Pontificis contraheret cum infideli; aut si fideles contrahentes intendat ambo conficere Sacramentum, unus autem non intendat recipere? R. probabiliter negativè, quia Matrimonium, ut contractus, non potest esse in uno, & non in alio, sed est necessario in duobus: ergo similiter Matrimonium, ut Sacramentum; sequitur enim ut tale naturam contractus. Undè quamvis duo contrahentes intendat conferre Sacramentum, si unus intendat non recipere, nec alter recipit, non obstante intentione recipiendi; quia non est subjectum capax. Non enim sunt plura Sacramenta, quorum unum sit in uno contrahente, & aliud in alio, sed est unum in duobus partibus subjectis habentibus per modum unius. Si dicas, quod usus possit recipere gratiam, & non alter defectu dispositionis, ita est; sed in hoc casu uterque recipit Sacramentum, cujus effectus unus ponit obicem, non alter.

ARTICULUS VI.

Quis sit Minister Matrimonii?

Unanimis fuit antiquorum Theologorum sententia, si fortè excipias Guillelmum Parisiensem, contrahentes esse ipsos Ministros Matrimonii, non solum in ratione contractus, sed & in ratione Sacramenti, donè Melchior Cano l. 8. de locis Theologicis c. 5. in sol. ad 3. novam viam ingressus, docuit Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Matrimonii; *Ego vos conjungo* esse formam; materiam consensus mutuum contrahentium. Hunc non pauci, nec ignobiles, Theologi sunt secuti, Estius, Sylvius, & inter Recentiores Juenin, Tournely, & alii. Verum cum Scholarum Principibus, Magistro sentent. Doctore Angelico, Doctore Subili, ceterisque antiquiori, & etiã nunc communiore sententia.

Di-

Dico. Minister Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes. Prob. 1. Causa efficiens Sacramenti Matrimonii est illius Minister; atque contrahentes sunt causa efficiens Sacramenti Matrimonii: ergo. Prob. Min. ex Concil. Florent. in Decreto pro instructione Armenorum, ubi dicitur: *Causa efficiens Matrimonii est mutuo consensus, per verba de præsentem regulariter expressus, aut contrahentes per hunc mutuum consensus; ergo. Dixit autem Concilium Per verba regulariter expressus; quia potest exprimi consensus aliter, quàm per verba nempe per nutus, ac signa.*

Respondet Tournely, quæ dicit Concilium de causa efficiente, non spectare Matrimonium quatenus est Sacramentum, sed quatenus est contractus, ex quo resultat vinculum indissolubile. Et ita esse, inquit, ostendit mutata loquendi ratio, qua uti solet Eugenius in aliis Sacramentis. *Statim enim, ac dicitur v. gr. primum omnium Sacramentorum est Baptismus, addit. Hujus Sacramenti materia, &c. At in præsentem casu mutat loquendi rationem, simpliciter ait: Causa efficiens Matrimonii, &c. ne scilicet rem figeret, in scholis hæc, & inde agitata. Sed contra. Concilium in his verbis loquitur de Matrimonio, ut est Sacramentum, constat 1. quia loquitur de matrimonio, quod immediatè antè dixerat esse *septimum Sacramentum*; id enim exigit sermonis series; nec verisimile est, quod proponens agere de Matrimonio ut Sacramento, statim ab instituto deflectat. Quia initio hujus cap. de Sacramentis dicit: *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem, pro ipsorum Armenorum... faciliore doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. De Sacramentis ergo qua talibus Concilium intendit instruere Armenos, consequenter de Matrimonio ut Sacramento. Et velim, ut quid indigeat instrui Armeni de causa efficiens Matrimonii in ratione contractus? Ignorabunt fortè, quod neminem later, esse consensus contrahentium? 3. Nullum solum Ministrum designat Concilium, neque Sacerdotis meminit, cujus tamèn præsentiam cum aliqua formula debuisset requirere, ne fortè ejus defectu nullum esset Sacramentum, si vera sit adversariorum sententia. Conjectura autem Tournely facilis est, ac infundata; ideo enim Concilium dixit: *Causa efficiens Matrimonii, & non hujus Sacramenti, ut in aliis Sacramentis, ne Tò hujus Sacramenti, relectur ad conjunctionem Christi cum Ecclesia, de qua immediatè locutum fuerat. Ex ejus verba: Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi, & Ecclesie, secundum Apost. dicentem, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia: Causa efficiens Matrimonii est, &c. Res in aperto est.***

Prob. 2. Concilium Trid. Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. declarat, quod, quamvis Ecclesia semper detestata sit, atque prohibuerit Matrimonia clandestina, *Ea tamen sint rata, & vera Matrimonia*, quando Ecclesia ea irrita non fecit, & anathemate damnat eos, qui ea vera, ac rata esse negant.

Respondet Tournely, Matrimonia clandestina fuisse vera, & rata in ratione contractus, non in ratione Sacramenti. Sed contra. Secundum Jura omne Matrimonium Christianorum ratum est Sacramentum; ita declarat Innocentius III. cap. Quanto de divortio extra libr. 4. tit. 19. *Etsi, inquit, Matrimonium verum inter infideles existat, non est tamèn ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum. sicuti conjugii Sacramentum. Vides, Matrimonium inter infideles esse verum, sed non ratum; quia defectu Baptismi non est Sacramentum; inter fideles autem ratione Baptismi esse ratum, quia est Sacramentum. Undè Fagnanus ad c. *Quod nobis* de clandest. Despouat. n. 51. & plures apud ipsum docent, Catholicos semper sensisse, Matrimonium verum, & ratum Christianorum, cum debita intentione contractum, esse Sacramentum; ita ut contrarium asserere sit secundum illos periculosum in fide.*

Prob. 3. Sacra Congr. Concilii. Trid. 2. Martii 1580. declaravit, hæc verba, *Ego vos conjungo*, quæ juxta Trid. Sess. 24. c. 1. de Ref. Min. Parochus, viro & muliere interrogatis, debet dicere, non pertinere ad substantiam Matrimonii: *Idèque valere, etiamsi verba prolata sint tantum a contrahentibus, & non a Parocho, dummodo adsit præsentia Parochi, quam absque verbis sufficere putavit.* Palam est, Congregationem loqui de Matrimonio ut Sacramento; tum quia de hoc interrogabatur, tum quia loquitur de Matrimonio ad sensum Trid. quod interpretatur.

Respondet Tournely post Sylvium, hæc declarationem nullius esse ponderis, nec illi fidem esse adhibendam; quia Urbanus VIII. decreto dato 2. Augusti 1631. edixit, declarationibus Congregationis Concilii Trid. tam impressis, & imprimendis, quàm manuscriptoris nullam esse fidem in judicio, & extrà adhibendam; sed tantum illis, quæ authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præsfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentis, munite fuerint. Sed contra 1. Fagnanus v. incertimus, qui circa Theolog. Billuart Pars Tertia.

tempora Urbani erat Secretarius Congregationis, & decretum Pontificis apprime noverat, refert hæc declarationem ad c. *Quod nobis* jam cit. eam autem verisimiliter non citasset, si authentica non fuisset. 2. Dato non esse authenticam, Urbanus hujusmodi declarationibus denegat fidem juridicam tantum, non historicam, ut latè probavi Dissert. 6. de scientia media art. 6. §. 8. tit. *De Paulo V.* object. 2. Non enim Papa potest efficere, id, quod factum est, non fuisse factum.

Prob. 4. Matrimonium, contractum invalidè coràm Parocho, & testibus propter impedimentum occultum gravius meius, si postea accedat consensus spontaneus utriusque partis, sit validum absque præsentia Parochi, juxta responsum S. Congregationis, & declarationem S. Pii V. apud Fagnanum, ad cap. *Is, qui fidem* desponsalibus n. 14. Convalescere autem non solum in ratione contractus, sed etiã Sacramenti, juxta mentem summ. Pontificis, & S. Congregationis, indubitatè videtur; cum non sit credibile, summ. Pontificem, & S. Congregationem voluisse tantum docere, quid esset necessarium ad validitatem contractus civilis, & omisise, quod requiritur ad rationem Sacramenti conjugatis summè necessarii. Similiter Matrimonium contractum per verba de præsentem coràm Parocho, & testibus sub conditione de futuro, adimpleta conditione, convalescit absque præsentia Parochi, ut declaravit S. Pius V. apud Fagnanum loco cit. Id autem fieri non posset, si Parochus proferens hæc verba: *Ego vos conjungo*, ut formam Sacramenti, esset Minister. Forma enim Sacramenti debet proferri, dum perficitur Sacramentum, ut patet in omnibus aliis Sacramentis. Item, dum sacra Penitentia committit Confessorio facultatem dispensandi super Matrimonio inito cum impedimento occulto alinitatis ex fornicatione, apponit hæc clausulam: *Ut Commissarius cum taliter conjugatis, de nullitate prioris consensu certioratis, dispenset, ut Matrimonium secreto inter se contrahere valeant.* Non est autem verisimile, ut jam dixi, sacram. Penitentiarium esse sollicitam de procuranda validitate contractus civilis, & non curare sanctitatem Matrimonii eorum, qui ad eam pro dispensatione recurrunt.

Prob. 5. Christus instituendo Sacramentum Matrimonii nihil aliud fecit, quàm elevare inter Christianos contractum matrimoniale validum, ut in usu erat, ad dignitatem Sacramentis; si quid aliud, probent Adversarii, si possunt, ex Scriptura, vel Traditione: ergo idem sunt Ministri Sacramenti, qui & contractus; & qui antè faciebant contractum tantum, faciunt Sacramentum. Subsumo; atque Ministri contractus, secundum omnes, sunt contrahentes: ergo & Sacramenti. Quantum ad D. Th. expressa est ejus sententia in 4. d. 26. q. 2. art. 1. ad 1. refertur in Suppl. q. 42. art. 1. ad 1. *Verba, inquit, in quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Item in 4. d. 28. q. unica art. 3. o. Suppl. q. 45. art. 5. o. ubi querit, utrum consensus in occulto per verba de præsentem faciat Matrimonium? Dicit: *Consensus expressus per verba de præsentem, inter personas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit; quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti, alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut Matrimonium convenienter fiat. Undè, si omittantur, verum est Matrimonium, quamvis consent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.* Et cum ibidem. 2. loco sibi objecisset. *Sacramentum Penitentiae non perficitur, nisi mediantibus Ecclesie Ministris; ergo nec Matrimonium perfici potest in occulto absque Sacerdotali benedictione:* Respondet sic: *Ad 2. dicendum, quod actus noster in Penitentia, quamvis sit de essentia Sacramenti, non tamèn est sufficiens ad inducendum proximum effectum Sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis; & ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in Matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio; quia, quicumque est sui juris, potest se alteri obligare. Et ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quasi de essentia Sacramenti. Hæc testimonia sole clariora obscurare nititur Sylvius, sed irritò conatu, ut patebit ex solutionibus objectionum.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Concilium Trid. sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. præcipit, ut Parochus intellecto consensu dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* Ita autem verba vera sunt: ergo Parochus verè illos conjungit in Matrimonium; non quatenus est contractus, quia sic jam sunt conjuncti per mutuum consensus; ergo in ratione Sacramenti. Ità Sylvius, R. D. conseq. ergo Parochus verè illos conjungit absolute & coràm Deo, N. in facie Ecclesie, quatenus efficit, ut habeantur in Jure pro legitime conjunctis, C. Vel ut alii dicunt, conjungit approbativè, quatenus approbat & declarat legitimam eorum conjunctionem. Si dicas, hoc non esse propriè

Cccc con-

conjugere, sed declarare conjunctionem, D. ut antè: Non est propriè conjugere coram Deo, C. in facie Ecclesie, N. Sic, dum quis secretò absolutus ab Excommunicatione postea absolvitur iterum publicè a Iudice per hæc verba, *Absolve te a vinculo Excommunicationis*, sensus est: te absolvo in facie Ecclesie, approbo, declaro legitimam esse tuam absolutionem. Ità similiter in nostro casu.

Porro hunc, & non alium, esse Concilii sentem, nec usquam intendisse hæc verba esse formam essentialiam Sacramenti, & Sacerdotem ea profertentem esse Ministrum, manifestè constat ex eo, quòd non jubeat absolute Parochum uti his verbis, sed his, *vel aliis, juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum*. Si autem hæc verba habuisset pro forma essentiali, ea non reliquisset arbitrari Provinciarum, sed illis determinatè uti jussisset. 1. Quia, quamvis in formis accidentalibus sit cuique Provinciae suus ritus, id tamen nunquam passa est, nec patitur Ecclesia in formis essentialibus, etià quoad verba æquivalentia; patet ex Concilio Florent. quòd eandem materiam, & formam Sacramentorum etià quoad verba determinata præscribit omnibus Provinciis, saltè pro Ecclesia Latina; & merito, cum in tanta varietate facillè posset subrepre mutatio substantialis, eaque tam multiplex varietas dedecet dignitatem Sacramentorum, & fundamenta Religionis Christiane. Undè communiter docent Theologi, cum peccare, qui verbi formam in sacramentis determinat, & recepta ab Ecclesia, mutat in alia, citi æquivalentia; ut si v. gr. pro baptizo, dicit, *abluo*. 2. Quia sciebant Patres Trid. in omnibus fere Ecclesie Provinciis hæc verba, *Ego vos conjungo*, non haberi pro forma essentiali: *Sic enim omnes fere sentiebant*, inquit Card. Pallavicinus libr. 20. c. 4. n. 1. Itè noverant, in aliquibus adhiberi quædam verba omninò diversa, etià quoad sensum. Sic forma Ecclesie Constantiensis in suo Rituali est hæc: *Matrimonium, per vos contractum secundum ordinem Matris Ecclesie, ego auctoritate, qua hæc in parte fungor, ratifico, confirmo, & benedico in nomine Patris, &c. Dominicus Soto, qui Concilio interfuit, in 4. refert, in quibusdam Hispanie Provinciis hæc adhiberi formulam: Ego vos sponso, & Sacramentum confirmo*. In aliis istam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Approbat ergo Concilium, & has, & similes formulas, & tamen non conjugunt, sed conjunctionem supponunt, declarant, ac ratificant; seu ut dixi, conjugunt in facie Ecclesie tantum. Adde, quòd Concilium Matrimonium clandestina pronuntiat vera, & rata; Matrimonium autem ratum est secundum Jura Sacramentum, ut patet ex 2. probatione. Itè S. Pius VI. & Congregatio Card. Concilii Trid. Interpretum declarant, hæc verba: *Ego conjungo vos*, non pertinere ad substantiam Matrimonii, ut patet ex tertia, & quarta probatione.

Inst. 1. Sylvius. Sacerdos dicendo, absolvo te, in omni proprietate absolvit: ergo dicendo, *conjungo vos*, in omni proprietate conjugit. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd ex definitionibus Ecclesie habemus hæc verba: *Absolve te*, esse formam essentialiam Sacramenti Penitentiae, non supponere anteriorem absolutionem, & Sacerdotem hæc profertentem tanquam Sacramenti Ministrum; ex quibus sequitur, quòd Sacerdos verè absolvat in foro Dei, & non solum in facie Ecclesie, nec tantum declarat, aut confirmet absolutionem. At nihil simile habemus ex definitionibus Ecclesie pro his verbis: *Conjungo vos*, quin potius suadet contrarium, quæ hæc usque diximus, & communiter Doctorum sensus.

Inst. 2. Indatus Sylvius. Multa Ritualia, & Concilia Provincialia post Trid. declarant, Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti, ut Ritualia Attrebatense, Iprensè, Mechliniense, Synodus Cameracensis, Colonienis, præsertim in Enchiridio, &c. ergo R. Sacerdotem esse, & dici Ministrum Sacramenti Matrimonii, quia est Minister sacrorum Rituum, quibus Matrimonium juxta Ecclesie leges celebratur: sic enim reverè sum ministerium exhibet Sacramento, licet illud non conficiat. Undè in Concilio Viennensi Clementina: *Religiosis* libr. 5. tit. 7. celebrantes Matrimonium non dicuntur *conficientes*, sed *solemnizantes*, id est, Ministri solemnizantis.

Obj. 2. cum eodem Sylvio ex Patribus Patres Concilii Carthag. IV. Can. 13. & ante illos Evaristus Ep. 1. dicunt, sponsum, & sponsam a Sacerdote merè benedicendos. Ambros. Ep. 70. nunc 19. ait: *Ipsam conjugium Sacerdotali benedictione sanctificari oportet*. Tertull. libr. 1. ad uxorem c. 9. Innocentius I. Ep. 1. ad Vetricium, Siricius Ep. 1. ad Himerium, & alii hujus benedictionis meminerunt: ergo R. N. Conseq. Benedicatio Sponsorum requiritur equidem, non ut essentialis, & necessitate Sacramenti, sed ut ceremonialis, & necessitate præcepti, quia Matrimonium clandestina semper prohibuit Ecclesia. Proferant adversarii, si possunt, aliquem textum in Jure, vel Patribus, in quo dicatur conjunctionem Matrimonii per hæc verba: *Vos conjungo*, aut æquivalentia, esse benedictionem nuptiarum. Quousque id præstiterit, incensum congerunt testimonia Patrum

requirunt benedictionem, cum hæc sola, quam dixi, sit secundum ipsos adversarios benedictio essentialis, cæteræ accidentales.

Inst. 1. Ambrosius citatus dicit, hæc benedictione sanctificari Matrimonium. Evaristus itè citatus declarat, aliter contracta conjugia esse adulteria, & fornicationes. Concilium Carthag. ibidem vult, quòd sponsi, cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permanent. Quod non prescriberet, si esset tantum benedictio ceremonialis. Siricius vocat sacrilegium hujus benedictionis violationem: ergo R. 1. & insto in dictis. Hæc benedictiones erant per hæc verba: *Ego vos conjungo*? dicant, si audeant adversarii: & tamen sola, quæ fit per hæc verba, est essentialis secundum ipsos. Deinde ad singula R. 2. ad 1. nihil indè sequi; scriptum est enim: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*. Quid ergo vetat, quòd conjugium ex institutione Christi sanctum adhuc sanctificetur per benedictionem Ecclesie? Ad 2. Evaristus vocat Matrimonium sine benedictione Ecclesie adulteria, & fornicationes, non quòd non sint valida, sed quia non habent omnem honestatem sibi debitam. Hanc sensum necessario admittere debent ipsi objicientes. 1. Quia ipsi concedunt, hæc Matrimonia fuisse valida in ratione contractus, consequenter non esse adulteria, & fornicationes. 2. Quia Evaristus eodem modo loquitur de Matrimoniis contractis sine dote, & sine consensu Parentum, aut Tutorum; quæ tamen constat non esse adulteria, & fornicationes. 3. Quia in fine addit: *Nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima*. His ergo solis censet confici conjugia. Ad 3. quamvis benedictio nuptialis non sit Sacramentum, est tamen aliquid sacramentale, ut ait D. Th. & habet Sacramentum adjunctum, in cuius idè reverentiam non minus debet observare eadem nocte ab actu conjugali, quam deebat olim secundum legem, vel consuetudinem ab eo abstinere diebus Dominicis, & Festis, ad 4. eadem ratione, scilicet quòd benedictio nuptialis sit quid sacramentale, ejus violatio merè dicitur sacrilegium; non enim violatio Sacramenti tantum, sed & accessorii ad Sacramentum violatio est sacrilegium.

Inst. 2. Alexander III. cap. *Cum in Ecclesia* 9. de simonia, dicit, quòd sit horribile, pro sepulchris, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiri. Quibus verbis jungit benedictionem nuptialem aliis Sacramentis. Et Martinus V. in fine Concilii Const. jubet suspectos de heresi interrogari: *An credant, quòd Christianus, contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extreme Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter?* Ubi solemnizationem Matrimonii vocat Sacramentum: ergo R. ad 1. Alexander jungit benedictionem nuptialem aliis Sacramentis, non quia est Sacramentum, sed quia Sacramentum involvit; est enim benedictio Sacramenti, quatenus nubentes benedicuntur, dum in facie Ecclesie efficiunt Sacramentum: non est tamen forma essentialis Sacramenti, nec Sacerdos, qui benedicit, est Minister, neque hoc dixit Alexander. Ad 2. Martinus sumit solemnizationem Matrimonii non in abstracto, sed in concreto pro ipso Matrimonio solemnè, seu contracto in facie Ecclesie, cujus contrahentes sunt Ministri, non Parochus, qui est tantum Minister solemnizantis. Insuper ad utrumque. Ex dictis, ista benedictio, vel solemnizatio non fiebat per hæc verba: *Ego vos conjungo*: Quis enim id adversariis revelavit? Et tamen hæc sola est secundum ipsos forma essentialis.

Inst. 3. Si benedictio nuptialis non sit essentialis Matrimonio, ruit præcipuum fundamentum, quo probamus ex traditione contra Hæreticos, Matrimonium esse Sacramentum: ergo. Prob. Ant. Non alio argumento melius probamus contra Novatores, Matrimonium esse Sacramentum, quàm ex benedictione illa sacra, apud SS. Patres toties commendata: ergo. Ità Tourneley. R. N. Ant. Ad probat. N. Ant. Nequaquam enim indè probavimus, Matrimonium esse Sacramentum; sed ex eo quòd SS. Patres formalibus terminis asserant esse Sacramentum. Vide Art. 3. Prob. 2. ex traditione. Neque tamen negamus ex benedictione sacra posse æqualiter probari Matrimonium esse Sacramentum, quia hoc ipso quo celebratur in loco sacro, cum benedictione sacra, a Ministris sacris impertita, infertur legitime, non esse contractum merè civilem, sed Sacramentum.

Obj. 3. Juxta Concilium Florent. in decreto unionis, Sacramenta novæ Legis tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione Ministri; atqui, si contrahentes sint Ministri, erit Sacramentum sine verbis, & sine intentione Ministri: sine verbis, quia contrahentes possunt nuptibus contrahere: intentione Ministri, quia, cum ut plurimum contrahentes ignorant se esse Ministros, non intendunt conficere Sacramentum: ergo R. ad 1. partem Min. D. Erit Sacramentum sine verbis formalibus, C. sine verbis æquivalentibus, N. Cum enim Matrimonium sit contractus, & contractus possit iniri notibus, hi nutus æquivalent verbis, quatenus non

non secus, ac verba significant interiorem consensum; & nihil aliud requirere Concilium, constat ex eo, quòd agens de Matrimonio dicit, quòd causa efficiens Sacramenti Matrimonii sit *Mutus consensus, per verba de presentibus regulariter expressus*. Dixit, *regulariter*, quia aliquando exprimitur per nutus, qui verbis æquivalent. Ad 2. partem min. Illam. N. Quamvis enim contrahentes ignorent, se esse Ministros, sufficit, quòd intendant facere, quòd alii faciunt, in quòd intendit Ecclesia, ut faciant.

Inst. Si quis tentaret aliquod aliud Sacramentum conficere per nutus, & signa, nihil efficere: ergo similiter in Matrimonio. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd alia Sacramenta non fundentur in contractu, sicut Matrimonium; ex quo fit, quòd, sicut ad contractum sufficit nutus, qui æquivalent verbis, ità ad Sacramentum Matrimonii.

Obj. 4. Ministri aliorum Sacramentorum sunt Sacerdotes: ergo & Matrimonii. R. 1. N. Ant. universaliter sumptum; instantia est in Baptismo, cujus Minister potest esse Laicus. 2. Dico Ant. N. Conseq. Disparitas est proxime data, quòd alia Sacramenta non fundentur in contractu, Matrimonium autem nihil sit aliud, quàm contractus elevatus ad esse Sacramenti. Undè causa efficiens contractum efficit simul Sacramentum. Disparitatem amplificat Auctor, (*Suppl. q. 45. art. 3. ad 5.*) ut vidimus in probationibus.

Inst. 1. in aliis Sacramentis non est idem conficiens, & suscipiens Sacramentum, ergo nec in Matrimonio. R. N. Conseq. Eadem est semper disparitatis ratio. Sacramentum Matrimonii id habet speciale, quòd sit contractus elevatus ad esse Sacramenti. Undè, sicut contrahentes sunt ministri, & subjecta contractus, ità & Sacramenti. Neque id mirum videri debet, quòd in duobus sit unum Sacramentum, quia in duobus est unus contractus; quòd non contingit in aliis Sacramentis.

Inst. 2. Vel quilibet contrahens sibi, vel unus alteri vicissim Sacramentum administrat. Primum dici non potest, quia nullus sibi ministrat Sacramentum, quod in actione consistit. Secundum diffidè concipitur in nostra sententia; vix enim exponi potest, an prius vir mulieri, an viro mulier Sacramentum conferat, an simul, & eodem instanti sibi invicem. Ità Tourneley. R. eodem modo contrahentes sibi invicem conferre Sacramentum, quo contractum conficiunt; & quia contractum simul conficiunt per mutuum traditionem, & acceptationem, ità sibi conferant Sacramentum: nec refert, quòd unus prius loquatur, moraliter enim durat ejus consensus, donec alter accedat, quo accedente completur contractus, & Sacramentum.

Inst. 3. Minister cujusvis Sacramenti illud confert vice, & in persona Christi, juxta illud: *Hic est qui baptizat*; atqui dum contrahentes dicunt: *accipio te in meum*, vel *meam*, non loquuntur vice, & in persona Christi; non enim Christus principaliter accipit in suam, aut uxorem ducit: ergo R. D. Min. Dum contrahentes dicunt: *accipio te*, &c. non loquuntur vice, & in persona Christi, quatenus inveniunt contractum civilem, seu se jungunt in ordine ad carnale commercium, C. quatenus faciunt Sacramentum, seu se jungunt per gratiam sacramentalem, N. Sic enim Christus est principalis Minister, & accipit sponsum in suum, & sponsam in suam, sicut accipit in suos omnes, quibus confert gratiam.

Inst. 4. Antè Trid. & in locis, in quibus non est receptum, copula supplet, & supplet vices horum verborum, *Accipio te*, &c.; atqui copula non fiebat, nec fit vice, & in persona Christi: ergo R. D. Maj. Copula præcisè supplet vices verborum *Accipio te*, &c. N. copula cum manifestatione consensus mutui in ordine ad contractum matrimoniale, C. Causa itaque efficiens Sacramentum Matrimonii est consensus mutus signo externo expressus; quòd sit autem hoc, vel illud signum, materialiter, & accidentaliter se habet. Cum ergo copula etià post sponsalia possit haberi animo fornicatio, vel conjugali, non ipsa, sed consensus mutus maritalis exterius expressus fit vice, & in persona Christi.

Obj. 5. S. Th. in 4. D. 1. q. 1. art. 3. ad 5. hæc habet: *Matrimonium secundum quod est in officio nature, & Penitentia secundum quod est virtus, non habet aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est Sacramentum in dispensatione Ministrorum existens, utrumque habet aliqua verba, sicut in Matrimonio sunt verba experimentia consensus, & iterum benedictiones ab Ecclesia instituta*. Itè D. 17. q. 3. art. 3. q. 1. Suppl. q. 8. art. 1. *Solus*, inquit, est ille Minister Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super Corpus Christi verum, quod solus Sacerdotis est. Itè d. 18. q. 20. Suppl. q. 22. art. 2. & libr. 4. contr. cap. 78. dicit, Matrimonium esse Sacramentum Ecclesie, quia per Ministros Ecclesie dispensatur: *Undè*, inquit, *& quædam benedictio nubentibus per Ministros Ecclesie adhibetur*. Ex his inferit doctus Sylvius, quòd, si S. Doct. Summan absolvisset, agnitus fuisset Sacerdotem pro Ministro Matrimonii. R. Quòd cum omnia fere, quæ

objiciuntur, scripserit S. Th. antequàm scriberet, quæ pro conclusione nostra retulimus, & his prioribus non obstantibus decretorè asserat conclusionem nostram in sequentibus; ex prius dictis infundatè conficit Sylvius, quòd, si Summan absolvisset, agnovisset Sacerdotem pro Ministro Matrimonii; sicut enim prius dicta in Commentariis in 4. non obsterunt, quominus in sequentibus assererit conclusionem, ita non obstat, si eadem dixisset in Summ. Ex hoc maxime, quia hæc facillè conciliantur, si priora intelligantur non de Ministro, & forma Sacramenti quoad substantiam, sed de Ministro, & forma solemnizantis, ut ipse se explicat 1. loco in objectione posito, *Sicut in Matrimonio*, inquit, *verba experimentia consensus, & iterum benedictiones ab Ecclesia instituta*. Ubi affert pro forma essentiali verba experimentia consensus, & benedictionem Sacerdotis pro extremonia, seu forma accidentali, quippe quæ non sit a Christo, sed ab Ecclesia instituta. Adde, quòd, si ita non intelligas, cogeris admittere S. Doctorem in posterioribus operibus, quæ citavimus pro conclusione nostra, vel mutasse sententiam in favorem nostrum, vel sibi contradicere; idemque foret dicendum, si similia haberet in Summa. Nec alio sensu accipiendus est textus ex libr. 4. contr. Gentes; non enim dixit S. Th. Matrimonium esse Sacramentum, quia per Ministros Ecclesie dispensatur; quasi existimasset Sacramentum hujus Sacramenti Ministrum essentialem, sed quia ex eo, quòd adhibetur Minister Ecclesie dignoscitur, tamquam ex signo, quòd Matrimonium sit Sacramentum, & non contractus merè civilis. Ità Ferrariensis in hunc locum.

Quantum ad alia quædam argumenta, quæ opponi possunt, consule art. sequentem.

ARTICULUS VII.

De Materia, & forma Sacramenti Matrimonii.

QUI tenent, Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Matrimonii, dicunt contrahentes esse materiam remotam, seu circa quam; actus sensibiles contrahentium materiam proximam, & ex qua; hæc verba Sacerdotis, *Ego vos conjungo*, formam. At aliter, qui contrahentes pro ministris agnoscunt. Undè Dico 1. Materia remota, & circa quam Sacramenti Matrimonii sunt contrahentium corpora, seu ut alii volunt, quod perinde est, dominium mutuum in corpora in ordine ad usum conjugalem. Patet, qui Matrimonium tam in ratione contractus, quàm in ratione Sacramenti versatur circa corpora contrahentium, seu circa mutuum eorum dominium, sicut venditio agri versatur circa agrum, & ejus dominium. Dixi: *in ordine ad usum conjugalem*; per quòd distinguitur ab aliis contractibus, in quibus res conceditur ad omnem usum lege permixtum.

Dico 2. Materia proxima, & ex qua Sacramenti Matrimonii sunt verba contrahentium, prout exprimitur traditionem mutuum corporum: forma, eadem verba, prout exprimitur acceptationem traditionis. Eadem enim verba, scilicet *Accipio te in meum*, & *accipio te in meum*, sic significant acceptationem ab una parte, ut etià significant traditionem proprii corporis, seu ejus domini: sine enim hac mutua traditione, & acceptatione non subsisteret Matrimonium; & idè eadem verba secundum diversas considerationes sunt materia, & forma.

Prob. Sacramentum Matrimonii nihil est aliud, quàm contractus civilis elevatus ad esse Sacramenti, nulla mutatione facta circa materiam, & formam: ergo ea est materia, & forma Sacramenti, quæ contractus. Subsumo; atqui in contractibus civilibus, consequenter in Matrimoniali, traditio rei, seu consensus in traditionem exterius expressus est materia, acceptatio, seu consensus in acceptationem exterius expressus est forma: ergo. Prob. Subsumptum. Illud habet rationem materie, quòd est determinabile, habet autem rationem forme, quòd est determinativum, ut dixi de Sacramentis in communi; atqui in omni contractu civili traditio est determinabilis, completurque in ratione perfecti contractus per acceptationem, quæ se habet ut determinativum: ergo. Neque obstat, quòd acceptatio aliquando videatur præcedere traditionem, ut in eo qui cupit habere, antequàm alter velit dare; ista enim cupiditas debet potius dici voluntas accipiendi, quàm acceptatio, quippe quæ est correlativa ad traditionem: nec censetur perfectus contractus, nisi re donata donatarius perseveret in priori acceptatione, aut eam ratihabeat.

Dices insuper. Consensus est causa efficiens Sacramenti: ergo non est neque materia, neque forma. R. D. Conseq. Non est neque materia, neque forma, sub eadem ratione, C. sub diversa ratione, N. Quatenus causat vinculum, est causa efficiens; quatenus determinat traditionem compartis, est forma; quatenus verò ut traditio determinatur ab acceptatione compartis, est materia.

Inst. In aliis Sacramentis materia distinguitur realiter a forma, Cccc 2

ma, & Minister efficiens a materia remota. Unde Concilium Florent. in decreto unionis dicit: Sacramentum perfici tribus, ut realiter distinctis, materia, forma, & intentione Ministri: ergo & in Matrimonio. Subsumo, atqui in nostra sententia idem consensus est materia, & forma, & Minister efficiens est materia remota: ergo. R. N. Conseq. Quia id est speciale Matrimonium, quod sit contractus: in contractu autem non est dis-

tinctio realis inter materiam, & formam, sed idem consensus sub diverso respectu, & materia, & forma. Item potest idem esse causa efficiens, & materia remota contractus, ut patet in eo, quod se vendit in servum. Quamvis autem Florentinum dixerit, Sacramenta perfici materia, forma & intentione Ministri, non tamen dixit, hanc tria in omnibus Sacramentis debere distingui realiter.

DISSERTATIO II. DE SPONSALIBUS.

Div. Thom. Suppl. Quest. 43.

Postquam Auctor essentiam Matrimonii tam in ratione contractus, quam Sacramenti expendit, agit de sponsalibus, quae sunt dispositiones ad Matrimonium, & quaedam ejus inchoatio, unde sit

ARTICULUS I.

Quid sint Sponsalia?

Sponsalia, sic dicta a spondendo, sumuntur aliquando late, & improprie pro muneribus sponsalitiis, quae dicuntur jocalia 1. Reg. 18. vel etiam pro ipso Matrimonio rito non consummato, quo sensu Matth. 1. B. V. dicitur desponsata Joseph, quia, (Suppl. q. 43. art. 1. ad 6.) sicut, qui init sponsalia proprie dicta, spondet Matrimonium, ita, qui init Matrimonium, spondet ordinare actum Matrimonii. Itaque

Dico. (Ib. o.) Sponsalia, proprie sumpta, sunt & definiuntur a Jure, a D. Th. & communiter, Futurarum nuptiarum mutua promissio, aliquo signo sensibili expressa. Explicatur: Dicitur, futurarum nuptiarum, per quod distinguitur a Matrimonio, quod contrahitur per verba de praesenti, ut accipio te in meam; sponsalia vero per verba de futuro, ut accipiam te, &c. Dicitur Promissio; quia simplex desiderium, aut propositum etiam exterius expressum non sufficit. Dicitur mutua promissio; quia, cum sponsalia sint Matrimonium inchoatum, ejus naturam sapiunt: Matrimonium autem non potest esse sine mutua, & reciproca obligatione: unde, sicut maritus non est sine uxore, sic non est sponsus sine sponsa. Et ideo in Jure libr. 1. ff. de sponsalibus promissio sponsalium dicitur Repromissio. Itaque, si una pars tantum promitteret, & altera praesertim acceptaret non repromittendo, non forent sponsalia, nec induceretur impedimentum publicae honestatis: teneretur tamen promittens praestare promissum, non vi sponsalium, sed vi promissionis simplicis. Quamvis enim Matrimonium fieri non possit absque reciproca obligatione, potest tamen quis promittere, & se obligare ad contrahendum Matrimonium, si & quando alter voluerit contrahere. Sicut v. gr. licet non possit esse venditio sine emptione, potest tamen aliquis promittere, & se obligare ad vendendum, puta domum, si & quando alter voluerit emere, absque eo, quod iste incurrat obligationem emendi. Aliud ergo est contrahere de facto Matrimonium, aliud se obligare ad contrahendum; aliud acceptare fidem alterius, aliud illi suam obligare. Per quod evertitur fundamentum oppositae sententiae, quam tenent Vazquez, Pontius, & quidam alii. Supponi tamen debet, quod promittens intendat verum promittere, & se obligare, etiamsi alter non repromittat; quod fateor rarum esse, nisi forte id quandoque fiat ad significandam gratitudinem pro accepto beneficio. Dicitur signo sensibili manifestata; quia homines non communicant inter se, nisi per signa sensibilia. Vide Dissert. 2. de Contract. art. 1.

Insuper sponsalia debent habere alias conditiones, communes omnibus promissionibus & contractibus. Unde debent esse vera promissio, hoc est, cum animo promittendi, & se obligandi, alias non esset promissio; non tamen cum animo praestandi promissum, licet in hoc casu teneretur reparare injuriam alteri factam, aut ejus damnam, si quod patitur. Vide loco citato. Item debet esse promissio libera, non solum libertate physica, sed etiam morali, ita ut non fiat ex gravi metu injuste incusso; hoc solum enim sponsalia etiamsi jurata irritantur c. Ex litteris. de sponsat. impub. Extr. l. 4. tit. 2. Quia juramentum, quod sine peccato impleri non potest, non obligat. Contractus autem, qui propter bonum commune irritantur, qualis est contractus sponsalium ex gravi metu iniuste, non possunt impleri sine peccato; quia, quod est contra bonum commune, peccatum est. Vide Dissert. 1. de Contractibus art. 6. Sponsalia vero, iniuste ex levi metu iniuste incusso, non sunt ipso facto irrita, sed irritanda tantum ad nutum metum passi. Hae est autem differen-

tia inter sponsalia irrita, & irritanda, quod prima non inducant impedimentum publicae honestatis, secunda vero inducant.

Tandem debet promissio esse acceptata; id enim Jure positivo, & naturali requiritur ad omnem promissionem validam. Vide Dissert. 2. de Contract. art. 1. Utrum vero debeat esse expressa acceptatio, an sufficiat silentium promissarii? R. Sufficere in ratione simplicis acceptationis, non in ratione repromissionis, ita ut promissio valeat in ratione simplicis promissionis, non in ratione sponsalium; quia in rebus, in quibus commodum, & nihil incommodi sequitur, valet haec Regula 46. Juris: Qui tacet, consentire videtur. Secus, ubi incommodum sequitur; quod accideret, si ex silentio sequeretur repromissio. Excipitur tamen, si Parentes acceptent sponsalia pro filiis praesentibus, & non contradicentibus; ita expresse statuitur in Jure c. unico de despons. impub. in 6. libr. 4. tit. 2.

Petes 1. Utrum sponsalia clandestina post Tridentinum sint valida? R. affirmativa: quia nec in Concilio Trid. nec alibi datur ulla Lex positiva Civilis, aut Ecclesiastica irritans sponsalia clandestina: ergo, cum Jure naturae sint valida, non est unde sint nulla.

Dices ex lege Oratio ff. de sponsalibus: Prohibito Matrimonio, censetur prohibitum id omne, per quod ad illud pervenitur; atqui Matrimonium clandestinum est prohibitum, & irritum; ergo & sponsalia clandestina. R. verum esse illud allatum axioma, quando Matrimonium absolute, & omnibus modis prohibetur, tunc enim sponsalia forent promissio rei illicitae, & ideo nulla. At vero Matrimonium a Trid. non prohibetur absolute, sed tantum ne clandestine fiat. Unde, cum nulla sit connectio inter sponsalia clandestina, & Matrimonium clandestinum, possunt enim sponsalia clandestine contrahi, & Matrimonium publice celebrari; ex irritatione Matrimonii clandestini, nec sequitur ullo modo irritatio sponsalium clandestinorum. Adde, quod ratio, cum prohibendum sit, & irritatum Matrimonium clandestinum, scilicet ad adulteria vitanda, non militet pro sponsalibus.

An autem sint etiam licita? R. quod Jure communi sint licita, & in usu in pluribus Diocesis, ut in nostra Leodiensi: in quibusdam tamen aliis Diocesis prohibentur. An sub gravi peccato? Affirmative respondet Natalis Alex. & cum ipso Henricus a S. Ignatio. Sed, ut nobis videatur, parum dure, cum vix unquam fient publice, nisi antea contracta fuerint privatim inter Amasium, & Amasiam; de quo tamen non solent reprehendi. Verum quia in locis, in quibus viget mos contrahendi sponsalia publice multi ignorant, clandestina esse valida, & inde contrahi impedimentum publicae honestatis, de hoc contrahentes monendi sunt a Pastoribus, si subsit periculum, quod promissum Matrimonium sorori suae sponset, aut alteri in primo gradu consanguineo.

Petes 2. Utrum Matrimonium clandestinum, aut quodvis aliud, Jure sive naturali, sive positivo nullum, habeat saltem vim sponsalium? R. negative. Contractus enim invalidus nullam inducit obligationem; nec consensus in omnem ex natura rei est consensus in alterum; suntque qui velint de facto contrahere, & tamen quinollent promittere Matrimonium in futurum; sicut sunt, qui hic, & nunc volunt dare, & tamen nolunt se obligare ad dandum in posterum. Insuper refertur declaratio S. Congreg. Cardin. his verbis: Matrimonium, contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, post Concilium Trid. non solum est nullum, sed nec vim habet sponsalium; adeo ut sic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non possint. Item altera similis declaratio ejusdem Congreg. data fuit Episcopo Patavino. Hac leguntur in editione Concilii Trid. Antuerpiae 1633. ad Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrimonii pag. mibi 353.

Excipitur Matrimonium inter impuberes contractum propter specialem dispositionem Juris c. finali de desponsat. impub. Extr. l. 4. t. 2. & c. unico eodem tit. in 6. modo tamen non sit

clan-

clandestinum, ut habetur in dietis declarationibus Concilii Trid. ad cap. 2. ejusdem Sess. 24. pag. 373. Ubi de Matrimonio inter impuberes contracto dicitur: Quod si malitia etatis defectum non supplet, hujusmodi Matrimonium, si modo, forma servata Concilii, contractum fuit, resolvitur in sponsalia de futuro, ex quibus etiam oritur vinculum publicae honestatis justitia. ergo, si non servata fuit forma Concilii, non resolvitur in sponsalia.

Petes 3. Utrum, dum vir dicit puellae, nullam aliam ducam nisi te, vel e contra puella viro, sint sponsalia? R. negative: quia sensus hujus propositionis est disjunctivus, scilicet, vel nullam ducam, vel si aliquam, te ducam. Unde non obligatur ad ducendum, sed tantum casu quo velit nubere, quod liberum est.

Petes 4. An necessariis sint praemittenda sponsalia Matrimonio? R. negative, re spectata secundum se; quia potest fieri mutua traditio corporum absque eo, quod praecesserit promissio tradendi; sicut quis potest vendere domum, etsi antea non promiserit vendere. Unusquisque tamen debet sistere moribus suae Diocesis.

Petes 5. Quibus de causis praemittuntur sponsalia Matrimonio? R. 1. Ut Matrimonium tot oneribus & difficultatibus implicatum cum majori liberatione & dispositione celebretur. 2. Ut hoc tempore intermedio possit deprehendi, an nihil obstet Matrimonio. 3. Ut dicit Aug. 1. 8. Confess. cap. 3. Ne vilem habeat maritus datam, quam non suscipaverit dilatatam.

ARTICULUS II.

Quot modis contrahuntur Sponsalia?

UBI.

De Sponsalibus conditionatis.

Dico (Hic q. 43. art. 1. o.) Sponsalia duobus modis contrahuntur, absolute & conditionate. Absolute quatuor modis. 1. Nuda promissione; ut cum dicitur: accipiam te in meam, & c. converso. 2. Datis arbis sponsalitiis, ut pecunia, vel aliquo hujusmodi. 3. Annuli sabbarratione. 4. Interveniente juramento. Conditionate autem contrahuntur dupliciter; scilicet sub conditione honesta, vel inhonesta. Si honesta, ut accipiam te in meam, si parentibus placeat; si tamen conditione, sive sit de praesenti, sive de futuro, stat promissio; non stante, non stat. Si inhonesta, vel est contraria bonis Matrimonii; ut si dicam: accipiam te, si venena sterilitatis procures, & tunc non contrahuntur sponsalia; aut non est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam: accipiam te, si furis meis consentias; & tunc stat promissio, inquit S. Doct. sed tollenda est conditio. Verum hoc ultimum D. Th. intellige pro foro externo, in quo ejusmodi turpes conditiones habentur pro non adjectis c. Quicumque, cap. De illis, cap. Si conditiones extr. de condition. apposit. & in quo his non obstantibus praesertim absolutus consensus. In foro tamen interno, si conditio turpis apponatur revera ad indicandum dissensum, seu non esse consensum nisi conditione posita, ut plerumque fit v. gr. dicendo: accipiam te, si dederis mihi copiam tui corporis, non stant sponsalia conditione non impleta; nec etiam starent in foro externo, si de tali dissensu constaret. Idem dic de conditione impossibili. Vide Dissert. 1. de Contractibus art. 7. ubi haec materia fuse discutitur. Conditione autem quamvis turpi posita, convalescunt sponsalia; quia, licet nulla possit esse obligatio ad ponendam conditionem turpem, ideoque rescindenda sint hujusmodi sponsalia, & auferenda sit conditio, ea tamen purificata licet illicita, oritur obligatio servandi promissum, ut late probavi Dissert. 1. de Contractibus art. 8. Vide.

Petes 1. Utrum, si conditio sit honesta, sed tamen contraria bonis Matrimonii v. gr. ut uterque conjux mansuet in perpetua castitate, valeant sponsalia? R. sub distinctione. Si haec conditio feratur in ipsum jus ad copulam impediendum, non valet; quia jus ad copulam est essentialis Matrimonio: si vero feratur tantum in usum copulae impediendum, concessio jure, sed ligato, valet, quia usus copulae non est essentialis Matrimonio, ut fassus dicam infra, dum de objecto consensus Matrimonialis.

Petes 2. An contractus sponsalitiis, initus sub conditione honesta de futuro, adimpleta conditione, statim valeat, absque novo contractu, att consensu? R. perseverante eadem contrahentium voluntate, valet, non perseverante autem, non valet, nisi novus consensus accedat, ad quem quidem pars dissentiens teneretur. Ratio 1. partis est; quia, perseverante eadem voluntate, perinde est, ac si tunc primo poneretur consensus. Et hoc modo convalescunt alii contractus, ut probavimus Dissert. 1. de Contract. art. 7. Concl. 3. Censetur autem perseverare virtualiter,

quandiu non revocatur. Ratio 2. partis est; quia, licet in aliis contractibus Jura suppleant id, quod deest consensus, ita ut, semel posita conditione, in absolutum transeant, id tamen non possunt in Matrimonio & sponsalibus, in quibus consensus personalis contrahentium est essentialis. Ratio 3. partis est; quia ex contractu conditionato oritur duplex obligatio; una absoluta, expectandi eventum conditionis; altera suspensa & conditionata, praestandi, quod promissum est, si purificetur conditio. Proriam autem hanc obligationem, utpote ortam ex mutuo consensu, non potuit resiliens propria auctoritate extinguere, siquae tenetur reddere consensum, quae illicite revocavit. Vide Dissert. 1. de Contract. art. 7. Concl. 2.

Hinc inferes sponsalia iniata cum impedimento dirimente dispensabili sub conditione futura dispensationis, obtenta dispensatione, probabiliter valere sine novo consensu, modo prior non fuerit revocatus. Utrum idem censendum sit de Matrimonio conditionato? dicam infra. Id autem venit observandum, quod ex sponsalibus conditionatis nullum oritur impedimentum publicae honestatis, donec impleatur conditio, quia eo usque sunt invalida. Existimat Sylvius hic quaestione. 3. quod oriatur ex Matrimonio, coram Parocho & testibus sub conditione contracto; quia, juxta ipsum, Matrimonium conditionatum, juxta formam Trid. contractum, habet vim sponsalium, donec impleatur conditio. Id quidem non probat Indegatus Theologus, sed videtur innui in declaratione 2. Congreg. ad cap. 2. Sess. 24. Concilii Trid. citata in Responsione ad Pet. 2. praecedentis art. Caterum nunquam permittant Parochi, ut tam sponsalia, quam matrimonia conditionate contrahantur; sed omnino efficiant, ut sint absoluta, juxta formam in Ritualibus praescriptam.

Petes 3. Utrum sponsalia conditionata inter personas habiles ad Matrimonium per copulam subsequentem transeant in absoluta? R. negative post Trid. in locis, ubi est receptum. Ideo enim ante Trid. copula aerebat conditionem, quia per eam affectu conjugali habitum efficiebatur Matrimonium. Ad nunc, cum non valeat ad Matrimonium, conditionem non aufert.

Petes 4. Utrum possit apponi sponsalibus conditio cenalis, quae resiliens obliget? Secundum Jura l. Mulier c. de sponsalibus l. 5. tit. 1. & Novella 18. Leonis Imperatoris, duplex poena hic distinguitur; una de praesenti, ut si quis in ipso contractu sponsalicio tradat aliquid ut anulum, torquem, pecuniam summam, &c. quod cedat alteri, si tradens resiliat; si e contra recipiens resiliat, reddat acceptum, & insuper acquivalens, aut duplum, secundum quod conventum est. Altera poena est de futuro, ut dum contrahentes inter se paciscuntur de solvenda pecunia summa ab eo, qui resiliat. Primum in Jure dicitur arrha, secundum poena, licet utrobique sit poena. R. In contractu sponsalicio illicite & invalide apponitur poena, tam de praesenti, quam de futuro, juste resiliens, aut indistincte juste vel injuste resiliens; nec juste resiliens ad illam obligatur. Licet autem & valide imponitur injuste resiliens, isque ad illam obligatur.

Prob. 1. Pars. Jura cap. Gemma de sponsalibus extra l. 4. tit. 1. l. Titia ff. de verborum obligat. l. Mulier cap. de sponsalibus, prohibent & irritant poenam appositam in contractu sponsalicio, quae laederet libertatem Matrimonii; atqui obligatio ad poenam, sive praesentem, sive futuram in eo, qui habet justam causam resiliendi, laederet libertatem Matrimonii, cum, ne perderet Arrham, vel cogere solvere pecuniam, quandoque invitus contraheret Matrimonium, ex quo jurgia, rixae, & alia plurima inconvenientia orirentur: ergo. Confirm. Non debet imponi poena, ubi non est culpa: ergo juste resiliens non obligatur ad poenam. Et de hac poena imposita juste resiliens intelligendus est S. Thom. hic art. 1. ad 4. dum dicit, quod talis conditio non stat.

Idem dicendum, etiamsi non ipsi contrahentes, sed eorum parentes & amici paciscerentur de poena, quia damnum parentum & amicorum reputatur proprium, & ejus metui pariter laederetur libertas Matrimonii; secus, si ab extraneis, non instantibus sponsis, sed motu proprio, apponeretur. Totumque id verum est, etiamsi poena sit levis; quia Jura non distinguunt inter poenam gravem & levem, sed prohibent absolute ullam poenam apponi, & ab illa eximunt obligatum. Insuper, quamvis levis, semper minueret aliquantulum libertatem contrahentium; quod si in aliquo casu ita non accidat, erit per accidens: lex autem non attendit ad id, quod raro, & per accidens, sed quod per se & communiter accidit. Excipie, nisi poena adeo esset levis, ut pro nihilo reputaretur.

Prob. 2. Pars. Si injuste resiliens a sponsalibus non obligaretur ad poenam, nec liceret eam apponere, ideo esset, quia laederet libertatem Matrimonii; ideo enim Jura prohibent apponi, & est ratio adversariorum; atqui ista ratio non currit in injuste resiliens, quia etiam seclusa poena tenetur stare promissis, & ad hoc ipsa Jura cum cogunt: ergo.

Si